



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. IV. Qui certus est de peccato mortali, & dubitat negativè de Confessione, per se loquendo tenetur confiteri. Scrupulosus, nisi sit moraliter vertus tam de peccato mortali, quàm non ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)



dubius, nescio ex quo alio fundamento (si tamen ex illo) efficaciter probetur obligatio confitendi, quam ex communi praxi & sensu Doctorum.

Dico; si tamen ex illo: quia, ut notat Henricus part. 4. tract. 4. disp. 3. nu. 48. inter Scholasticos antiquos pauci sunt, qui de hac questione agunt. Aleris verò, & D. Thomas, qui obiter eam attingunt, & dubia confitenda dicunt, non se fundant in auctoritate, aut traditione, sed in nuda ratione, eaque infirmâ (quâ etiam utuntur Summistæ, qui inde eam haulerunt, ut Tabiena, Sylvester, & alii, quorum unus sequitur alium plerumque instar ovium gregis) quod sic dubitans non confitendo exponat se discrimini; quasi nempe debeat agere, quod tutius est: hoc autem plurimas habet exceptiones in dubio de lege, de voto, de re an sit aliena, suppositâ possessione &c.

Fideles quoque non omnes idem sentent; quin immo scio interdum fuisse, qui putarent contrarium hoc titulo, quod non poterant recordari se fecisse, sed tantum dubitarent. Pii præterea plerumque prædicant, quod securius est. Et sanè fideles idem apprehendunt de peccatis probabiliter vel probabilius mortalibus. Nec tamen ob hoc censentur illa debere in Confessione exprimi.

Fit insuper interdum, quod aliqua non satis examinata, communiter apprehendantur obligatoria, ideoque prædicentur tamquam talia (in quorum sanè praxi non poterat esse error aut abusus) quæ tamen post diligentiorum discussionem apparent non satis fundata; adeoque usus contrarius obtinere incipiat. Hucusque præfatus Auctor.

Appositè Layman Theol. Mor. l. 1. tr. 1. c. 4. §. 4. n. 37. Si, inquit, in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo post diligentem excussionem dubitat an commiserit, vel an fuerit mortale: tunc probabile apparet, non incumbere ejus confitendi obligationem; non enim ex lege positiva Christi, vel Ecclesiæ habetur, quia esset nimis severa obligatio accusandi se de iis, quæ commississe se ignorat; neque ex lege naturali Charitatis propter periculum animæ; quandoquidem confitendo bonâ fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea, quæ ignorantur; verùm in hac re nihil determino, sed aliorum judicio committo. Ita hic Auctor, & Ego.

Quidquid ergo sit de universali & stricta obligatione, quæ sanè probabilis est, consulo omnibus (exceptis scrupulosis) ut confiteantur peccata dubia, tamquam dubia, præsertim dubia negativè, seu propriè dicta, quando constat de substantia actûs per se mortalis, & solum dubitatur, an hic & nunc propter aliquam circumstantiam excusetur à gravi culpa.

Sed quid si certò constet de peccato mortali commissio, & dubitetur de Confessione? Respondeo:

CONCLUSIO IV.

Qui certus est de peccato mortali, & dubitat negativè de Confessione, per se loquendo tenetur confiteri. Scrupulosus, nisi sit moraliter certus tam de peccato mortali, quam non Confessione, taceat.

Incipio ab ultima parte, & scrupulum appello quandam animi anxietatem ac timorem, ortum ex levibus & solum apparentibus causis; adedque scrupulosus erit, qui anxius est, & timet se mortaliter peccasse, aut peccatum mortale non fuisse confessum, ubi & quando non deberet timere, id est, timet ex levibus & solum apparentibus causis; qui utique timor, cum non tollat moralem certitudinem oppositæ veritatis, perspicuè manifestum est, non inducere obligationem confitendi.

Atque hic est communis sensus DD. ex quibus aliqui non improbabiler docent; dubitationem, quæ in aliis fortassis est rationabilis, in scrupuloso pro nihilo æstimari posse; unde tametsi tale dubium contemnendo, contingat scrupulosum speculative aliquando decipi, tamen practicè non errabit. Sed cave secundum hanc regulam agere, nisi moraliter certus sis, te omnino scrupulosum esse, ne fortè temerarius evadas.

Quæris à me, unde scire poteris, te esse scrupulosum? Respondeo; vel ex facilitate timoris & inquietudine in judicando de agendis, & facili mutatione iudicii in quacumque levi conjectura aut apparentis; vel etiam ex nimia quadam reflexione circa res atque eventus, qui vix in aliorum cogitationes ascendunt; vel denique certius id scies ex testimonio prudentum & proborum Theologorum, maxime Confessarii. Ipfus ergo iudicio habito, nemo est qui te poterit arguere de temeritate, si hic & nunc iudices hoc vel illud non esse peccatum; aut non esse confitendum, estò alioquin à parte rei foret peccatum confitendum; nemo, inquam, absque temeritate poterit te arguere de temeritate; quia hoc ipso quo Confessarius prudens & probus iudicat te esse scrupulosum, moraliter loquendo habes satis solidum fundamentum sic iudicandi, quando moraliter certò non constat de opposito.

Enimverò hominis scrupulosi ex mille dubitationibus non est una fundata, & quando subest

114. Quid sit scrupulosus

115. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

116. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

117. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

118. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

119. Unde scit possit, aliam quem esse scrupulosum

Immaculata praxis & Immaculata non agnoscit ab ipsa tenentur in hac oblatione Auctoris, signum Domini, tum Sacramentum in aliquo officii insecerunt, in audientia notaverunt. Per contrarium de eis non ari felum e non celebrationi, si tum celestem vel certè titutionem voluntate est sensus, quando sed in alta naturalibus; in qua et tantum tum. Doctrina rationem, Christus & ulum non patitur aliquid excita- qui con- tempore fidelibus, securita- mo sepè diligentitentes vi tur. peccata per mo- veritatis, Cognitâ Confessio- secus si maneret dubius,

112. pignora

113. pignora

114. pignora

115. pignora

116. pignora

117. pignora

118. pignora

119. pignora



subest aliquod verum periculum mali, tunc solet nimis certò sibi persuadere hoc esse peccatum, vel esse confitendum. Ideoque licet fieri possit, ut hic & nunc semel aut iterum rationabiliter dubitet, equidem non tenetur fundamentum suæ dubitationis ulterius examinare; sed potest absque temeritate judicare, eo ipso quòd aliquid est dubium, tantùm esse scrupulum.

Profectò si teneretur fundamenta singulorum dubitationum ulterius examinare, totà die distraheret intellectum suum, & facile sibi persuaderet, omne dubium esse rationabile, non absque manifesto periculo dementiæ; aut alterius gravis damni corporis vel animæ, quòd periculum excusat ab integritate materiali Confessionis, ut inferius suo loco latius explicabimus. Atque hæc satis de ultima parte Conclusionis.

116. Prima pars probatur; quia tunc lex Confessionis, secundùm omnes Doctores, est in possessione; adeoque pro illa judicandum in dubio, seu pari causa, & non pro libertate, quam constat fuisse amissam per peccatum mortale certum, & nequidem probabiliter resolvi potest, fuisse recuperatam per Confessionem, ad quam certa erat obligatio ante exortum dubium. Nonne certus de emissio voto, sed dubius negativè de impletione voti, tenetur votum implere, quamdiu manet sic dubius? Nemo ambigit. Ergo consimiliter in nostro casu.

Et generaliter, quandocumque dubium est circa actionem, quã primò quasi incurritur obligatio, tunc standum est pro libertate hominis per se loquendo; quando verò dubium est de ea re, quã ab obligatione prius contracta, eximi debemus, aut quã exire possumus ex obligatione, tunc standum pro lege. Vel sic; quando per dubium primò intrat obligatio, tunc sta pro libertate; quando autem obligatio est antiquior dubio, tunc stabis pro obligatione. Cùm igitur in casu Conclusionis obligatio sit antiquior dubio, pro illa judicandum erit.

Interim Caramuel Theol. Mor. n. 1517. existimat vix esse possibilem casum propositum; nam qui certò scit se peccatum illud commississe, debet necessariò scire certò, aut probabiliter, an sit illud confessus. Ratio est; quia dubia conscientia definitur ambigua & anceps, quæ pro neutra contradictionis parte habet rationem, aut saltem pro neutra habet gravem. Atqui talis conscientia non est in præsentì possibilis; ergo &c. Probatur Minor; nam vel ille, qui dubitare, an fuerit talem culpam confessus, asseritur, est persona, quæ solet bonas Confessiones semper facere, aut quæ non solet; si primum dicatur, censendus est, etiam tunc adhibuisse diligentem animi discussionem, cumque post diligentem dis-

ussionem vix unquam peccata gravia non occurrant (suã enim mole sese produnt, ni affectatã aliquã negligentia impediatur) censendum est certò eum hujusmodi peccatum fuisse confessum; vita enim præcedens gravem rationem suppeditat, & ubi gravis est ratio, omne dubium tam negativum, quam positivum exulat.

Si autem soleat malas Confessiones facere; aut defectu examinis, aut affectatã aliquã ignorantia, jam etiam habes rationem gravem credendi, illud peccatum non fuisse confessum; vita enim præcedens rationem gravem ministrat, quæ, quia nullã ratione forti impeditur, non tam probabiliter, quam moralem certitudinem infert.

Tandem si non habeat experientiam (puta si sit puer, & incipit Confessionis Sacramentum frequentare, tunc enim, quia non est sæpe confessus; videtur non posse ex vita præterita iudicium ferre) si habuerit propositum bene confitendi, censendus est secilicet diligentias sufficientes, ut conscientiam discerneret, atque ideo fuisse illud etiam peccatum confessus; non enim est verisimile, quòd non examinaverit conscientiam, nec est verisimile, quòd illud peccatum post debitum examen non occurreret, cùm & alia communitet occurrant; nec est verisimile, quòd ipse sciens & volens peccatum occurrere subitocriter; ergo verisimile non est, quòd debeat iterum confiteri. Hucusque Caramuel.

Sed hæc doctrina videtur Arriaga disp. 31. n. 36. valde mirabilis; nec capio, inquit ille, cur magis possit homo dubitare vero dubio, an consenserit; nec ne in talem delectationem illicitam, quàm utrum postea eam sit confessus, cùm in utroque casu res sit facti, circa quod ex defectu memoriæ passim dubia similia oriuntur, etiam in his, qui habent optimam memoriam. Ego sanè puto, me illam habere utcumque bonam, & aliunde non soleo valde arripi cogitationibus aut distractionibus, & tamen sæpe habui proprium dubium, an oraverim nec ne, Tertiam, Sextam v.g. &c. cur ergo non potero habere dubium, an dixerim in Confessione hoc aut illud. Hactenus Arriaga.

Respondetur, quòd homo sæpius dubitet, an consenserit in talem vel talem delectationem, non provenit præcisè ex defectu memoriæ; sed potius, quia difficile est agnoscere actus internos, eosque inter se distinguere, v.g. consensum voluntatis, ab actu appetitus sensitivi, consensum perfectum voluntatis, ab imperfecto.

Deinde quando homo dubitat de consensu perfectè deliberato in talem vel talem delectationem, si est homo timoratæ conscientie, secundùm communem sententiam, habet rationem probabilem & tutam præsumendi partem

116.  
Probatur  
i. pars  
Conclus.

Quando  
dicandum  
pro libertate,  
& quando  
pro lege.

117.  
Caramuel  
putat vix  
esse possibilem  
casum  
Conclus.



partem benigniorem; sin autem sit homo perditæ conscientiæ, habet rationem gravem prædicandæ partem severiorem. Cur ergo similiter homo timorata conscientia, qui semper solet facere bonas Confessiones, in dubio de Confessione peccati mortalis certo commissi, non poterit prudenter præsumere Confessionem; homo autem perditæ conscientia, qui sæpius non integrè confitetur, non debet præsumere non Confessionem?

Sanè ratio prioris differentia est; quia cum homo timorata conscientia, mortale peccatum ingenti odio prosequatur, si id ipsum admisisset, facile discerneret; at verò homo perditæ conscientia, cum parvipendat peccatum mortale, si non consensisset, nullum in eo dubium suboriretur. Ita Sanchez in Decal. lib. 1. c. 1. n. 20. Eadem autem ratio invenitur in casu nostro; nam qui semper solet facere Confessiones bonas, cum ingenti odio profetur Confessionem non integram, si illam admisisset, facile discerneret: at verò homo, qui non solet facere bonas Confessiones, cum parvipendat Confessionem integram, si non omisit aliquid peccatum, nullum in eo dubium suboriretur.

Dices; estò homo diligenter se examinet; nihilominus fieri potest, ut non recordetur alicujus peccati; & dato quòd in examine recordatus fuisset, non raro contingit illius oblivisci in ipsa Confessione, ut docet communis experientia; nam passim ob similes obliviones secundò & tertio acceditur ad Confessionem.

Fateor; non recordatio alicujus peccati in examine est possibilis, & oblivio alicujus peccati in Confessione non est adeò rara; sed quid tum? Nunquid homo timorata conscientia potest consentire in delectationem, & subinde consentire? Nunquid homo perditæ conscientia potest non consentire, & subinde non consentire? Equidem quando dubitant, unus præsumit consensum, alter non consensum; quia si hic consensisset non dubitaret, & nisi ille consensisset, non dubitaret. Ergo consimiliter, qui diligenter se examinavit, nec facile solet obvisci alicujus peccati in Confessione, si omisit aliquid peccatum mortale, non dubitaret se omisisse, sed certò id sciret; & qui negligenter se examinavit, ac parùm curat de omissione alicujus peccati mortalis in Confessione, nisi aliquid omisit, non dubitaret se omisisse.

Sed nunquid hinc sequitur; ergo casus Conclusionis impossibilis? Quid enim si aliquis inventiatur, qui nec semper solet facere bonas Confessiones, nec semper solet facere malas Confessiones; sed subinde diligenter se examinat, & bonas facit Confessiones; subinde autem negligens est in examine, & ideo facit malas Confessiones. Profectò si talis dubitet, an confessus fuerit aliquid peccatum mortale;

nec habet sufficiens fundamentum resolvendi pro Confessione, nec contra eam: & ecce casus Conclusionis, in quo omnes unanimiter docent obligationem confitendi, quicquid sit de illo, qui solet facere bonas Confessiones, quem Præpositus in 3. part. de Sacram. Penit. q. 5. n. 115. excusat, si dubium, inquit, suboritur diu post perpetratum peccatum.

Probat; quia moraliter est impossibile, post diuturnum aliquod tempus positivè recordari omnium; quæ quis confessus est, & proinde esset onus intolerabile; si quis in ea circumstantia teneretur in Confessione recensere ea, de quibus dubitat, num aliquando confessus fuerit; & præsertim quando dubium est negativum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. Videtur ergo, quòd quando quis bonà fide procedit in Confessione, si post diuturnum tempus de aliquo peccato solum dubitet, num illud confessus fuerit, non teneatur illud in Confessione explicare propter rationem dictam. Hæc ille.

Et continuo subiungit: multò minus teneatur quis peccatum Clavibus subicere, quando format probabile iudicium, quòd illud in Confessione explicaverit, licet non sine aliqua formidine de opposito; quia ad hoc ut aliquis censetur legi satisfecisse, sufficit iudicium probabile de ejus adimplentione, & contrarium esset nimis grave. Nam cum mens non possit semper formare certum iudicium de adimplentione legis, esset gravissimum onus, si quodcumque occurrit aliqua formido, homo teneretur rursus legi satisfacere, quantumvis probabiliter iudicaret se satisfecisse. Hæc autem intelliguntur, quando persona juxta suam conditionem præmisit diligens examen ad rei veritatem cognoscendam. Hæc tenet Præpositus.

Estque satis communis sententia, quamvis Nonnulli contradicant, inter quos Coninck disp. 7. n. 68. Credo probabilis, inquit, talem teneri confiteri: sicut is, qui scit, se debuisse homini centum, & ita dubitat an solverit, non est libre à solutione saltem partiali; quia per solutionem incertam non potest satisfacere certo debito. Ita Coninck.

Adde Regulam Juris 65. de Reg. Jur. in 6. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis. Cum ergo, ut suppono, æquè probabilis sit non Confessio, quam Confessio, cur non erit potior conditio legis confitendi, quæ est in possessione? Ponamus casum, quòd ego possideam rem aliquam externam, supervenit dubium, an sit res mea, vel alterius; & post diligens examen æquè probabile invenitur, quòd sit res alterius; quam quòd sit res mea, putas quia alter, propter illam probabilitatem, potest me spoliare illa re? Certum est quòd non; quia obstat Regula juris mox allegata. Ergo similiter in casu nostro, quamvis probabile sit te fuisse confessum illud peccatum, cum

Præpositus.

122.  
An sufficit  
probabilis  
confessio?  
Affirmat  
Præpositus.

123.  
Negat. Cœ  
ninck.

Reg. 65. de  
Reg. Juris  
in 6.

O o o o cum



cùm oppositum æquè probabile sit, obligaris iterum confiteri, ne alioquin peior sit conditio possidentis, cùm tamen debeat esse potior.

224.  
Auctor tenentiam communem, & respondet ad argumentum Coninck.

Nihilominus teneo sententiam communem, & ad argumentum Coninck respondeo, si ista 100. erant debita ex liberali promissione, qui ita dubitat an solverit, id est, qui probabiliter iudicat se solvisse, esse liberum à solutione etiam partiali; sicuti qui debet jejunium ex voto, censetur satisfecisse, & ad nihil amplius obligari, si jejunaverit juxta probabilem opinionem. Sin autem debita erant ex contractu oneroso, v. g. ex venditione mercium, forè tunc non esset liber à solutione saltem partiali; quoniam non servatur æqualitas, dando pro certis mercibus, pretium incertum, quod eo ipso minus valet; unde videtur fuisse intentio contrahentium, ut daretur pecunia certa, pro mercibus certis.

At verò Deus, cujus natura bonitas, cujus misericordia superexaltat iudicium, unde probatur esse tam rigorosus exactor, ut regulatè nolit esse contentus probabili adimplerione voti, aliarumque legum, tam naturalium, quam positivarum? Præsertim cùm scriptum sit Eccl. 3. v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem.*

Eccl. 3.

Cùm ergo difficillimum sit, in tanta opinionum varietate discernere; quæ probabilior sit, quæ minus probabilis, aut æquè probabilis; & illa, quæ nobis probabilior apparet, aliquando sit absolute falsa, benignè præsumimus de bonitate Dei; ipsam optimè contentari probabili adimplerione suæ legis (quamvis de rigore juris plùs posset exigere) ne alioquin mandata eius gravia sint; cùm tamen scriptum sit primæ Joannis 5. v. 3. *Mandata eius gravia non sunt.* Et Matth. 11. v. 30. *Christus, qui nec fallere, nec falli potest, Jugum, inquit, meum suave est, & onus meum leve.* Esset autem satis grave, si non satisfaceret legibus divinis probabili adimplerione, verè, inquam, probabili; sed Deus requireret certissimam adimplerionem.

125.  
Resp. ad argumentum.

Ex quo patet responso ad secundum argumentum; quamvis enim absolute in omni rigore juris Deus tali casu posset exigere Confessionem, cùm sit in possessione; equidem non tenetur exigere, sed cedere jure suo, ne homo putet se habere justam contra illum querelam, quam tamen non haberet, tamen exigeret adimplerionem maximè probabilem.

Deinde in casu nostro, cùm Confessio sit aliquid indivisibile, si adhuc ad aliquid obligaretur penitens, obligaretur ad totum, quod nequidem admittitur in debito humano, cui per probabilem solutionem, si non ex toto, saltem ex parte satisfactum est; ergo melius dicitur, quòd ad nihil obligetur.

Dices; non obligatur ad totum, quia potest confiteri tale peccatum, tanquam probabiliter adhuc semel confessum.

Respondeo; vel illa probabilis Confessio facit illud peccatum esse materiam liberam sacramenti, vel relinquit materiam necessariam; non primum, alioquin jam esset obligatio, & non obligatio confitendi, quæ est implicita. Sin autem relinquit materiam necessariam, ergo impertinens est ad iudicium sacramentale illa probabilitas; ergo penitens obligatur ad totum illud, ad quod antea obligabatur, scilicet ad exprimendum illud peccatum, tanquam materiam necessariam Absolutionis; eandemque videtur mereri illud peccatum Satisfactionem, ac si absolute nunquam fuisset dictum in Confessione. Atque ut minoris Confessio posset imponere, equidem præcipuum onus permanet, scilicet necessitas explicandi peccatum.

Itaque non valet hic argumentum ab homine, ad Deum; neque à materia justitiæ, in qua agitur de extrinseco momento tertii, ad materiam aliarum virtutum, quæ solum reddunt in bonum Dei, & in quibus tantum agitur de observatione alicujus præcepti. Nam Deus (inquit Arriaga de Act. Hum chap. 24. n. 33.) à nobis ea, quæ imperat, non petit, nisi ut ea iniquè operando non omittamus; unde fit, ut si bonâ conscientia ea omittimus, non teneamur ea postea, quando advertimus, offerre: sic qui Sacrum omisit die Dominico inculpabiliter, non tenetur die Lunæ ejus loco aliud audire.... Non ita inter homines in materia justitiæ; illi enim volunt rem suam, sive eam illis abtulerim invincibiliter, sive vincibiliter. Unde cùm primum eam alienam vero, debeo eam reddere: hinc fit, ut nolite eam sibi negari, & dari aliis, quando æquale in eam jus habent, quidquid sit de conscientia invincibili donatoris, ex quo ulterius fit, ut stante æquali jure debeat dividi. Hæc ille.

Sed quidquid sit de obligatione Judicis æqualiter dividendi rem inter partes, quæ æquale habent jus, quam obligationem Alii negant, Alii affirmant; certum est, fieri posse, ut quæ bonâ conscientia omittimus Deo dare, teneamur ea postea, quando advertimus, offerre, v. g. promissit quis Deo, singulis diebus audire Sacrum, non annectendo obligationem diei, sed quasi ambulatoriè, indubitatum est sive bonâ, sive malâ conscientia omiserit hoc die audire Sacrum promissum, teneri alterâ die defectum supplere, offerendo Deo Sacrum, quod omiserat.

Quòd ergo ille, qui Sacrum omisit die Dominico, non teneatur die Lunæ ejus loco aliud audire, non provenit ex eo, quòd omiserit bonâ conscientia, nam etsi malâ conscientia omisisset, non teneretur; sed quia illa obligatio est annexa diei, & cum ipsa die expirata, non



non enim est præceptum Sacrum pro quacumque die, sed pro die Dominica; proinde die Lunæ non est amplius materia præcepti, & per consequens neque præceptum.

In casu itaque, quo constaret de voto emisso, & utrumque esset æqualis probabilitas impletionis, & non impletionis, cum Deus sit in possessione, cur non debeat pro ipso judicari, in possessione, cur non debeat pro ipso judicari, & res promissa rursus offerri, si forte prius non fuerit oblata? Cur sufficiat probabilis tantum satisfactio? Nam non satisfaciendo, Deum fraudo aliqua re sibi debita. Vel certe ponamus rem promissam divisibilem esse, cur saltem non debeat pars rei promissa offerri, v. g. voti audire duo Sacra singulis diebus, probabile tantum est, me audivisse duo Sacra, cur saltem non teneor adhuc audire unum?

Scio, Multorum doctrinam esse, quod homo satisfaciatur voto, aliisque præceptis divinis, ea observando juxta probabilem opinionem, etiam relicta probabiliori & magis turâ. Sed quod fundamentum hujus doctrinæ? An forte, quod fundamentum operari? Existimo quia sic solent homines operari? Existimo magis solidum fundamentum esse, præsumptam voluntatem divinam, quæ ex innata sua Bonitate non amplius exigit (tamen si iuste posset exigere observationem probabiliorem, præferim quando commodè haberi potest) quia judicat divina Sapientia minus expediens, ut leges ibi obligent paucos, ubi communis observantia vel ob ignorantiam, vel ob difficultatem prævidetur non inducenda; uti est observantia legum juxta probabiliorem sententiam, cum pauci sint, qui illam noverint, & lapsissime sit moraliter impossibilis. Jam autem Deus semper censetur velle, quod melius est; secus homines, qui attendunt ad id, quod sibi utilius est.

Unde licet commutare votum suum in id, quod omnibus consideratis melius est, secus promissionem factam homini; ut patet in illo, qui promittit votum simplex castitatis post sponsalia; nam, ut communis docent Theologi, illud votum, quamvis de re meliori, non dirimit ista sponsalia; quia in his non attenditur bonitas, sed sola utilitas, & commoditas sponsi aut sponsæ, ad quem finem impertinens est, quod castitas sit melior. Igitur dum certò constat de peccato mortali, & nullo modo probabiliter de Confessione, ius divinum obligat ad Confessionem; secus si verè probabiliter constat de Confessione.

Si dixeris; qui tantum probabiliter est baptizatus, debet iterum baptizari. Resp. disparitatem esse, majora inconvenientia, quæ oriuntur ex defectu Baptismi (cum ille sit juxta Ecclesiæ, & per consequens essentialiter prærequisitus ad susceptionem aliorum Sacramentorum) quam ex defectu Confessionis alicujus peccati mortalis, quod indirectè remittitur, quando bonâ fide confiteor alia pec-

cata, & ab illis absolvor; nihil autem est, quod supplet defectum Baptismi in ordine ad susceptionem aliorum Sacramentorum.

Illud pro fine hujus Conclusionis addiderim, exempla, quæ ab aliis adferuntur, v. g. Confessionis probabiliter tantum informis; item Confessionis factæ Sacerdoti, qui tantum habet probabilem jurisdictionem, & similia, non satis efficaciter probare; quia æquæ incerta sunt, & pari ratione ab Adversariis negantur.

Parvæ quoque considerationis est, quod ait Caramuel Theol. Mor. lib. 3. n. 1531. Tametsi certum sit, debere peccata verè commissa, & dubiè absoluta, Clavibus Ecclesiæ subijci, non tamen scio, an subijci debeant statim; scio enim debitorem dubium non statim debere debitum illud dubium solvere, maxime si desit spes recuperandi, si forte postea jam fuisse aliàs solum confiteri, & in Confessione omnis spes recuperandi desit, quia dicta reddi nequeunt, non enim indicta fieri possunt. Hæc ille.

Ego autem mihi persuadeo, debitorem dubium, factâ omni possibili inquisitione veritatis, vel statim tenere debitum illud dubium solvere, vel nunquam; quia non est ratio, quare potius hoc tempore, quam illo; vel dicat nobis Caramuel, quod die, aut quâ horâ teneatur solvere.

Et consimiliter firmiter credo, peccata dubiè absoluta, factâ omni possibili inquisitione, vel statim, id est, urgente præcepto confitendi peccata certa, vel nunquam esse subijcienda Clavibus Ecclesiæ, aut certè assignet nobis Caramuel determinatum tempus, in quo subijci debeant.

Dices; ergo pejor est conditio ejus, qui habet peccata dubiè absoluta, quam illius, qui habet peccata certò non absoluta; nam hic satisfaciatur semel confitendo ista peccata, fieri autem potest, ut prior secundo debeat eadem peccata confiteri, v. g. si jam confessus fuit ea tanquam dubiè absoluta, & postea reperiat certò non fuisse absoluta, tenetur rursus tanquam certò non absoluta confiteri; veluti qui confessus est peccatum ut dubium, si postea reperiat esse certum, tenetur iterum confiteri tanquam certum.

Respondeo; qui habet peccata dubiè absoluta, potest absolute & simpliciter confiteri illa peccata, eodem modo quo confiteretur, si certò non essent absoluta, vel certò essent absoluta; neque enim oportet penitentem explicare, quod peccata illa sint, vel non sint absoluta, ut patet ex dictis sect. 7. concl. 7.

Et dato, quod confessus fuisset tanquam dubiè absoluta, ut absque peccato facere poterat, & ideo minorem accepisset penitentiam; equidem occurrente postea rei veritate, id est, certitudine non Absolutionis, ad nihil amplius

131. Doctrina particularis Caramuel.

Rejicitur ab Auctore.

132. Objectio.

Responsio.





amplius tenebitur; quia declaravit sua peccata in specie ac sigillatim, prout tunc erant in conscientia, quod solum requiritur à Concilio Trid. porro error Confessarii in imponenda Pœnitentia invincibilis fuit, ut suppono, qui proinde non potest obligare ad iteratam Confessionem; immo etiam si fuisset vincibilis, dummodo pœnitens non fuerit causa graviter culpabilis.

133. Defectus satisfactionis non inducit obligationem iteratæ Confessionis eorandem peccatorum.

Quid enim si per oblivionem Confessarius non imposuisset ullam Pœnitentiam, nonne pœnitens propterea iteratò deberet confiteri eadem peccata? Liqueat quod non; quia satisfactio tantum est pars integralis, nullatenus requisita ad validam & directam Absolutionem peccatorum, quæ sola ex jure divino Confessionis est necessaria; alioquin qui oblitus fuisset Satisfactionis, sive culpabiliter, sive absque culpa, teneretur iteratò confiteri eadem peccata, quod caret solido fundamento, ut proprio loco videbimus; multò minùs, si solum fuit defectus condignæ Satisfactionis.

Quantum ad illud, qui confessus est peccatum ut dubium, & postea reperit esse certum, an teneatur iterum confiteri tamquam certum, sub iudice lis est, ut patebit ex Conclusione sequenti, quæ sic sonat:

CONCLUSIO V.

Dixisti peccatum ut dubium, si postea reperias certum, consultur iterata Confessio, obligatio non convincitur.

134. Peccatum confessum ut certum, non debet iterum confiteri ut dubium, etsi tale postea deprehendatur.

Suppono peccatum confessum ut certum, non debere iterum confiteri ut dubium, quamvis postea ut tale deprehendatur: immo, quamvis nullum fuisse, certissimum foret, nihil propterea iterandum aut renovandum arbitror; quia quod factum est, infectum fieri nequit; nisi fortè Pœnitens obligaretur per accidens recuperare famam suam, quam apud Confessarium amiserat. Similiter, qui bonâ fide confessus fuit certum numerum peccatorum, quamvis postea indubitanter constet de minori numero, non obligatur rursùm confiteri numerum minorem. Ratio est: quia in majori numero continetur minor. Proinde qui absolvitur à decem fornicationibus, etiam absolvitur ab octo.

135. Peccata explicanda prout sunt in conscientia tempore Confessionis.

Suppono secundò cum communi DD. peccata explicanda esse, prout sunt in conscientia tempore Confessionis: adeoque dubia explicanda esse ut dubia, certa ut certa. Idem est cum proportione, quando pœnitens est certus de mortali commisso; dubitat tamen de specie, aut de certa circumstantia speciem mu-

rante; v. g. certus est de peccato mortali in genere, dubitat de furto, homicidio, fornicatione &c. certus est de peccato mortali furto, dubitat an fuerit res sacra vel profana: certus est de peccato fornicationis, dubitat an fuerit persona conjugata, sacra, consanguinea &c. debet explicare sicut novit, dicendo v. g. *Fui fornicatus, & dubito utrum fuerit persona conjugata*, & sic de aliis: nulla enim est ratio eum excusandi à Confessione illius malitiæ sive genericæ, sive specificæ, quam habet certam in conscientia: similiter à malitiâ specificâ dubia, si verum est, quòd peccata dubia necessariò sint confitenda.

Sed dicit aliquis: Hæc verba: *Prout sunt in conscientia*, non lego in Conc. Trident. Quæ ergo? *Quorum post diligentem sui conscientiam habent*. Quæto igitur: peccatum certum & dubium, v. g. fornicatio certa & dubia, sunt peccata specie aut numero distincta, vel non? Esse distincta, nemo asserit. Infero; ergo qui confitetur fornicationem dubiam, dicendo: *Fui fornicatus*, recusat in Confessione peccatum mortale, cujus post diligentem sui conscientiam habet.

Quòd autem debeat in Confessione recenfere suam conscientiam & declarare Confessario, quòd fuerit propriè dicta conscientia, id est, cordis scientia, seu certa conscientia (ut Aliqui eam explicant) vel certè improprie dicta, id est, dubia conscientia, supposito quòd certitudo & incertitudo non diversificent peccatum specie vel numero, ubi scriptum habetur? Cur ergo imponitur illa obligatio? An fortè, quia aliàs Sacerdotes non poterunt levare æquitatem in pœnitentis injungendis? Verùm omnimoda æquitas non requiritur, ut dictum fuit supra, ubi de circumstantiis solum aggravantibus.

Et sanè si peccatum dubium est ejusdem speciei cum peccato certo, & materia necessaria, ut jam suppono, cur non meretur eandem pœnitentiam? Aut saltem cur Sacerdos non possit imponere eandem pœnitentiam pro uno, & altero peccato, sicut potest imponere pro peccato semel confessio, & non confessio? Si ergo prior Confessio tamen sit in conscientia pœnitentis, non debet necessariò explicari, quia non est circumstantia tenens se ex parte objecti & peccati, id est, immutans speciem objecti & peccati; cur debeat explicari certitudo vel incertitudo, quæ similiter non est circumstantia se tenens ex parte objecti & peccati, sed ex parte cognitionis? Si ergo prior Confessio non debet explicari in Confessione, tamen ex materia necessaria faciat liberam; quando minùs incertitudo, quæ non impedit, quòd minùs totum peccatum sit integrè in Confessione manifestatum, & insuper relinquit materiam necessariam?